



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola V. Caelestini Papae III. Ad Episcopum Lincolniensem. Iubet
inquisitionem fieri de excessibus Eboracensis archiepiscopi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

Si quis vero (quod non credimus) Dei timore postposito, & reuerentia nostra & fidei Christianæ contempta, contra hoc agere aliqua temeritate præsumperit, nouerit nos vobis & aliis archiepiscopis & episcopis districtius iniunxisse, vt eorum terras, qui contumaciter incepto huiusmodi duxerint insistendum, interdicto ecclesiastico supponatis, & personas etiam, si opus fuerit, excommunicationis vinculo astringatis, & faciatis vtramque sententiam inuiolabiliter obseruari. Vobis ergo per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus ad ea quæ prædiximus celeriter adimplenda, omni tarditate & contradictione postpositis, vos accingatis, & studeatis per vestras dioceses, dilatione & appellatione cessante, id executioni mandare. Datum Romæ apud sanctum Petrum tertio Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno † secundo.

† nondum
absoluto.

EPISTOLA V.

CÆLESTINI PAPÆ III.

AD EPISCOPVM LINCOLNIENSEM.

Iubet inquisitionem fieri de excessibus Eboracensis archiepiscopi.

Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Lincolnensi episcopo, & dilectis filiis archidiaconis de Northampton, & priori de Ponte sancto salutem.

MEDIATOR Dei & hominum Dominus Iesus Christus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, totius ecclesiæ disciplinæ caput & magisterium sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ voluit reseruari, & omnes alias ipsius ordinationi & correctioni subesse: ita quod concessa ei specialiter plenitudine potestatis, eius etiam * sit ceterarum excessus corrigere, & quod laudabiliter agitur auctoritate apostolici culminis approbare. Vnde nos, quia ad eius regimen diuina sumus dispositione assumpti, ea volumus fratres & coepiscopos nostros cautela & discretione diligere, ne videamus affectum & familiaritatem eorum vocationis nostræ officio anteferre; præsertim cum habeat suos fines dilectio, qua quisque tenetur ad hominem, non ad hominis errorem diligendum, sane ad au-

* al. proprium

dientiam nostram ex personarum, & capituli Eboracen-
 sis ecclesiæ insinuatione peruenit, & id ipsum dilectorum
 filiorum nostrorum Roberti Eboracensis, & Rogeri de
 Selebi, & aliorum vndecim abbatum Præmonstratensis
 ordinis testimonia manifeste declarare videntur, quod
 venerabilis frater noster Gaufridus Eboracensis archiepi-
 scopus sacramenta iniuncti sibi officii vilipendens, vena-
 tione, aucupio, & aliis militaribus curis inutiliter occu-
 patus, ordinationi clericorum, ecclesiarum dedicationi-
 bus, aut Synodis celebrandis nec manum nec operam
 post sui promotionem adhibuit, nec abbatem aliquem
 benedixit, licet tam contra clericos quam abbates ad ma-
 ledicendum & excommunicandum linguam consueue-
 rit iuxta motum proprium indiscrete relaxare: libertates
 ecclesiæ suæ ac consuetudines approbatas euacuat & sub-
 uertit; appellationes, quæ solent esse ad remedium op-
 pressorum, ad Romanæ sedis iniuriam reduxit in contem-
 ptum; plures, pro eo quod ad nos appellationes emise-
 rant, vinculis fecit carceralibus vehementer astringi, per-
 sonas ecclesiæ suæ, post appellationem ad nos factam, ho-
 noribus & beneficiis spoliavit: quosdam canonicorum,
 appellatione contempta, excommunicationi subiecit:
 priuilegia Romanorum pontificum in eius præsentia om-
 nino auctoritate frustrantur; & qui forte alias tutus esset
 in ostensione priuilegii nostri, optati coram eo benefi-
 cium præsidii demeretur. Cum contingit aliquem ad sub-
 tractam sibi ecclesiam, vt possessionem, per iudices de-
 legatos auctoritate nostra restitui, eum, per quem de-
 buerat iudicium executioni mandari, statim sentiet inimi-
 cum. Plures enim taliter restitutos destituit, & ecclesias
 per ministros suos violenter aggrediens fores ecclesiarum
 fregisse, & eos proponitur per violentiam expulisse.
 Quamplures etiam reatum periurii fecit perniciose incur-
 rere, ipsos ab obedientia, quam archidiaconis suis cano-
 nice seruandam iuramento promiserant, quadam neces-
 sitatis violentia retrahendo. Præterea maiorem ecclesiam
 cum multitudine armatorum aggrediens fores capituli
 per violentiam confringi & asportari fecit, & bona cano-
 nicorum, & aliorum plurium, qui res suas tam in ecclesia
 quam in thesauraria deposuerant, fecit per violentiam de-
 tine-

tineri: pro quibus omnibus Eboracense capitulum ad nostram audientiam appellauit. Comperimus etiam ex testimonio prædictorum, quod ecclesiis quandoque vacantibus, præsentatas sibi ab his ad quos præsentatio pertinet personas idoneas non admittit: sed eas aut pueris aut minus honestis personis assignat, vsus pariter præsentantis & instituentis officio; aut facit eas ex sola voluntate vacare, vt earum fructus ipsius vsibus applicentur, & quod sustentationi alicuius clerici honesti debebatur sibi non metuit retinere. Adiecerunt etiam, quod cum spiritualia dona gratis debeant & sine prauitate distribui, frequenter cum donat ecclesiam, aut eam scindit per partes contra statuta ecclesiæ canonica, aut in ea nouam & indebitam retinet pensionem, & quamplures excommunicatos vel suspensos non nisi pecunia interueniente absoluit, religiosi vero viri & honesti in conspectu eius despecti & contemptibiles fiunt: viles & suspectæ personæ de facili familiaritatem eius & gratiam assequuntur. Vnde, si sic viuatur & in talibus fuerit conuersatio sua, timendum est ne gregi sibi commisso potius sit lapis offensionis & scandali petra, quam eruditionis exemplum, vel contra spirituales nequitias solatium aut tutela. Quia igitur quæ præmissa sunt solitudinem inquisitionis exposcunt, discretioni vestræ, de qua plene confidimus, inquisitionem horum duximus committendam; per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus ad Eboracensem ecclesiam accedatis, & conuocatis abbatibus, & prioribus, & aliis ecclesiasticis personis Eboracensis diocesis, diligentius inquiratis, vtrum Eboracensem ecclesiam & prouinciam tam inutiliter & perniciosè tractauit; & si super præmissis legitimi accusatores apparuerint, audiatis quæ contra præfatum archiepiscopum duxerint proponenda: & eis diligenter auditis & cognitis, attestaciones sub sigillis vestris inclusas nobis transmittere procuretis, assignantes partibus terminum competentem, quo sufficienter instructæ ad apostolicam sedem accedant, quod canonicum est ibi, dante Domino, recepturæ. Si vero accusatores defecerint, & fama publica fuerit contra ipsum, ei purgationem cum tribus episcopis, & totidem abbatibus auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, indica-

Conc. Tom. 28.

H

tis, in qua si forte defecerit, ipsum ab archiepiscopali officio & administratione suspensum apostolico conspectui faciatis presentari, vt, auctore Domino, ibi plenius doceatur qualiter eum & sibi confimiles in domo Dei oporteat ministrare. Si vero idem archiepiscopus aliquid contra eos duxerit proponendum, illud nihilo minus audiatis, & ad nos sub figillis vestris transmittatis inclusum, vt super his quod canonicum fuerit statuatur. Sane si dictus archiepiscopus in elusionem mandati nostri, antequam citatio vestra ad eum perueniat, appellationem interposuerit, vel iter arripuerit ad sedem apostolicam veniendi vos ei terminum trium mensium statuatis; infra quem se debeat in propria persona nostro conspectui presentare. Quod si non fecerit, vos eum extunc ab omni pontificali officio & archiepiscopatus administratione denuntietis auctoritate nostra, remota appellatione, suspensum. Quod si omnes his exequendis interesse nequiveritis, duo vestrum nihilo minus ea exequantur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sexto Idus Iunii, pontificatus nostri anno quarto.

EPISTOLA VI.

CÆLESTINI PAPÆ III.

AD DECANVM ET ARCHIDIACONOS
LINCOLNIENSIS ECCLESIE.

Contra Gaufridum Eboracensem archiepiscopum.

Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Haime decano Lincolnie, & Rogero de Leicestrie, & Vinemero de Northampton, archidiaconis in Lincolnensi diœcesi constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

EXPOSVERVNT nobis dilectissimi filii nostri, Simon decanus, capitulum ecclesie sancti Petri Eboraci, quod post appellationem ad nos interpositam clerici de capella venerabilis fratris nostri eiusdem ecclesie archiepiscopi, & quidam alii eiusdem ciuitatis in cathedrali ecclesia, in graue præiudicium ipsorum canonicorum intrusi, ex-